



**Gregorii XIII Papae Litterae monitoriales ad principes, duces,  
marchiones &c. et archiepiscopos, episcopos aliosque  
ecclesiasticos regni Francorum, qui regis partes sequuntur, et  
ad eas Turonense senatusconsultum.**

<https://hdl.handle.net/1874/388970>

2418.


3

# GREGORII XIII. P A P Æ

LITTERÆ MONITORIALES  
*ad Principes, Duces, Marchio-  
nes, &c.*

*Et Archiepiscopos, Episcopos aliosq;  
Ecclesiasticos Regni Francorum,  
qui Regis partes sequuntur.*

*Et ad eas Turonense Senatuscon-  
sultum.*



FRANCOFVRTI  
Ex officina Typographica Martini  
Lechleri,

M D X C I.

## Ad Lectorem.

**E**N tibi, lector, Gregorij Sfondrate Pontificis Romani lib.  
terae: quibus fidelium Regis Christianissimi subditorum  
animos corruptor sollicitat. Iis, verbosioris responsivis  
cem, S.C. Principis Regni Francorum Senatus bona fide ex-  
pressam subiunximus: in cuius sententiam, & alia Parla-  
menta iserunt. Ne falsus sis: nulla hic vis interuenit; nullus  
favor. Rege procul Turonibus occupato, dictae sententiae: & di-  
cte ab hominibus Religioni, quam Cath. Apost. Rom. vocant,  
addictis: à Religione, quā Reformatam dicimus, alienis; sed  
quibus autem hoc: Non pati Regni Francorum dignitatem:  
Pontificum audacia, imminui. Itaque, nihil hic leges non pro-  
nunciatum antea, facilitatum ve. Idem in Bonifacium VITI.  
PP. eiusque nuncios sub Philippo Rege: idem in Benedictum  
XIII. eiusque nuncios, sub Carolo VI. Rege: idem in Iulium  
II. sub Ludouico XII. Rege: idem in alios à nostris obsernatim  
atque etiam severius animaduersum legimus. Sed quod de au-  
ro aut argento Romanū minimè transportando, aut transcri-  
bendo hic leges: ne mireris. Roma, hirudo est, que Galliā an-  
rum argentumque exsugit. Narravit in concilio Basiliensi ar-  
chiepiscopus Lugdunensis, tempore Martini Pape, in curiam  
Romanam venisse de Francia, nouem miliones, id est xc  
thousas aurii. Alij alia notarunt. Ego, hoc ne nescires, Le-  
ctor, volui. Vale.



## LITERÆ

S<sup>mi</sup> D·N·D·GREGORII  
*Diuina Prudentia*  
Papa xiiii

Exhortatoriæ & monitoriæ ad  
Principes , Duces , Marchio-  
nes , & Comites , aliósq; regni  
Franciæ proceres ac Nobiles ,  
Henrici Borbonii quondam  
Nauarræ regis partes sequen-  
tes :

Necnon ad Communitates , V-  
niuersitates , & populos , atque  
cæteras personas seculares sub  
ciusdem Henrici dominatu  
existentes :

Ne eidem Henrico vltierius ad-  
hærent , vel quoquo modo  
faueant .



# GREGORIVS EPI-

*scopus seruus seruorum Dei:*

*Vniuersis & singulis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, aliisque regni Francie Proceribus, ac Nobilibus Henrici Borbonij quondam Navarraregis partes sequentibus, vel apud eum commorantibus, nec non provinciarum, ciuitatum, oppidorum & locorum sub eiusdem Henrici dominatu existentium Communitatibus, & vniuersitatibus, ac populis, ciuibusque & incolis quibuscunque salutem, & spiritum sanioris consilij.*

**P**O ST Q V A M diuinæ placitum est bonitati, quæ vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, humilitatem nostrâ ad munus Apostolicum omnium maximum & grauissimum, & ipsis Angelicis humeris formidandū vocare; animo reuoluentes ingētia, quibus populus Christianus affligitur, mala, variasque eiusdem ærumnas, & calamitates, & in primis Regnum Franciæ olim præstantissimum Ecclesiæ columen, & Ctho-

Catholicæ fidei firmissimum præsidiū,  
ac propugnaculum, exortis in eo iam-  
diu de Religione ac de Regno diffidiis  
in partes distractum, intestino & cru-  
deli bello ardere, & miserandū in mo-  
dum conflictari; scissum est cor no-  
strum doloris amaritudine, nec potui-  
mus nostram, & afflitti populi vicem  
vehementer non lugere. Sed in eo fir-  
mam habētes fiduciam, qui sperantes  
in se nunquam deserit, atque cum Ec-  
clesia sua, & cum fidelibus seruis suis  
usque ad consummationem seculi se-  
futurū esse pollicitus est, nec permis-  
surum ut portæ inferi præualeant ad-  
uersus eam; animum ereximus, sta-  
timq; cogitatus, laborēsq; nostros ad  
id conuertimus, ut regno & nationi i-  
sti tantopere de Ecclesia Romana be-  
nemeritæ, & nunc gravissimè laboran-  
ti, quam celestrem opera, studio, vigi-  
lantia, curaque pastorali, & ipsa si ne-  
cessit sanguinis & vita nostra effusione,  
opportunam ac necessariam opem fera-  
mus. Nouit Deus scrutator cordium,  
nos nec nostris, nec alterius cuiusquā

cupiditatibus, vel affectibus humanis  
duci, non nostra querere, sed quæ  
sunt Iesu Christi, nihilque ante oculos  
habere, nisi Dei gloriam, animarum  
salutem, publicam quiete & tranquil-  
litatem, ac Regni istius nobilissimi cō-  
seruationem. Speramus equidem cū-  
dem Deum, qui bonarum consuevit  
esse adiutor mentium, sicut etiam lar-  
gitor est, pro immēsa misericordia sua  
piis nostris conatibus propitium fore,  
optatūmque incrementum daturum.  
Sed vestra tamen in hoc pietate, ve-  
stra opera & obsequio indigemus, quia  
vos sine vobis saluos facere non possu-  
mus. Alios omnes qui in armis sunt, &  
vobis aduersantur, in potestate nostra  
fore non dubitamus; si vos idem face-  
re in vestrum animum induxeritis, o-  
mnia erunt facilia, & breui tempore  
religio, pax, ac istius regni nationis que  
gloria pristinum in locum restituē-  
tur. Oportet sane eos qui generis no-  
bilitate præfulgent, Christiana in pri-  
mis pietate, ac fidei Catholicæ cultu &  
obseruātia præcellere; sine quibus mul-  
la po-

la potest esse vera nobilitas , dicente  
Domino: Quicunq; honorificauerit  
me, glorificabo eum; qui autem con-  
temnunt me, erunt ignobiles. Reges  
vestri summum regiæ dignitatis fasti-  
gium asscuti, et si nihil amplius eis ad-  
di posse videbatur; pro suis tamen erga  
Dei Ecclesiā sanctāmq; fidem Catho-  
licā maximis meritis ac beneficiis, pul-  
cherrimo Christianissimi cognomi-  
ne ab eadem Ecclesia decorati , id or-  
namentum non minus cupidè quàm  
deuotè suscepérunt , ac longè pluris  
quàm Regiam ipsam dignitatem æsti-  
marunt. Quando igitur Reges optimi  
ac prudentissimi nihil habuerunt anti-  
quius, quàm vt ad proprium , ac alio-  
rum exemplum & ædificationem , i-  
psorum erga sanctam Ecclesiam Ca-  
tholicam quàm maximè eluceret pie-  
tas atque deuotio, quanto magis de-  
cet vos omnes , & eos præsertim qui  
nobilitate præstant , tantorum Princi-  
pum vestigia sequi, & sanctæ matris Ec-  
clesiæ dicto audientes esse , ac monitis  
consilisque salutaribus obtemperare?

Igitur ut opportuna aliqua ratio à nobis, Deo iuuante, iniri possit, id quod dies noctesq; cogitam<sup>9</sup>, qua tot impēdientibus malis occurratur, & talem habeatis Regem qui dignus sit vobis praeesse & dominari, ac verè pius sit, & re & nomine Christianissimus: vos his nostris litteris, quas vt ad omnium notitiam celerius perferantur, nec quisquam eorum ignorantem prætendere possit, volumus in Parisiensi, Aurelianensi, Lugdunensi, Aquensi & Tholosana, vel aliarum ciuitatum Ecclesiis Cathedralibus, more solito dum ibi diuina celebribuntur officia, publicari, eorumque exempla valuis carundem Ecclesiarum affixa relinqui, & post mensē à die publicationis huiusmodi numerādum, ita eos omnes ad quos pertinent afficere & obligare, ac si eis singulis lectæ & intimatæ fuissent; hortamur & per viscera misericordiæ Dei & Domini nostri Iesu Christi omni efficaciori quo possumus modo, ac etiam sub interminatione diuini iudicij rogamus, obsecramus, obtestamur, ac monemus,

## GREGORIUS XIV.

nemus, ne diutius Henrico Borbonio  
quondam Nauarræ Regi adhæreatis, vel  
quoquomodo fauatis: Ipse nam tene-  
ris annis pessima hæreticæ matris edu-  
catione corruptus, cum iam esset adul-  
tus, & in ea ætate qua bonum à malo,  
hæreticorum mendacia à Religionis  
Catholica veritate secernere poterat,  
Parisiis publicè in Ecclesia vbi Rex &  
Regni Principes, ac Proceres frequen-  
tes aderant, post nonnullas disputatio-  
nes inter Catholicos Sacrae Theolo-  
giae Doctores & hæreticorum mini-  
stros ipso instantे atque præsente fa-  
etas, fidem Catholicam amplexus &  
professus est, hæresibus, quibus antea  
imbatus fuerat, detestatis & abiuratis;  
& præterea sincerum se, ac verum Ca-  
tholicæ fidei cultorem deinceps omni  
tempore futurum pollicitus est: scri-  
ptis etiam literis ad sanctæ memo. Gre-  
gorium Papam XIII. prædecessorem  
nostrum, quibus euni supremum Ca-  
tholicæ Ecclesiæ caput agnoscebat; &  
supplex deprecabatur, ut conuersio-  
nis & obedientiæ suæ confessionem

acceptam habere, & præteritorum eri-  
minum veniam cōcedere dignaretur  
(quod & obtinuit) firmiter promittēs  
se fidem Catholicā perpetuō, integrē  
ac inuiolatē seruaturum: Et deinde et-  
iam Oratore Romam misso, qui suo  
nomine obedientiam eidem Grego-  
rio prædecessori præstaret, atq; de pe-  
nitentia, conuersione, fide & constan-  
tia sua in sedis Apostolicæ conspectu  
sponderet, prout in publico Consisto-  
rio, assistentibus eidem Sanctæ Roma-  
næ Ecclesiæ Cardinalibus, necnō præ-  
sentibus compluribus Prælatis, & Ro-  
manæ curiæ Officialibus, aliisque in-  
numeris personis, per eundem Orato-  
rem præstitit & spopondit, ac publico  
proposito edicto, in suæ ditionis pro-  
vinciis, & terris fidem Catholicam re-  
stitui, eamque solam ab omnibus suis  
subditis seruati mandauit, falsamque  
Religionem seu hæreses in eis prædi-  
cari aut teneri prohibuit. Atque ita  
per aliquod tempus ut Catholicus ha-  
beretur, exteriore cultu præ se tulit.  
Attamen cùm postea violato iurciu-  
ran-

rādo, & fracto promissionis quo se ob-  
strinxerat, vinculo, repente Catholicæ  
Religionis hostem acerrimum, hære-  
ticorumque caput ac principem se de-  
clarasset, atque in Ciuitates & Oppida  
tunc temporis ab eo capta hæreticos  
prædicantes introduci iussisset, atque  
omni conatu ad ipsas hæreses confir-  
mandas & propagandas incubuisse;  
iure ac merito fel. rec. Sixtus Papa  
Quintus etiā prædecessor noster, eun-  
dem Henticum fuisse & esse hæreticū,  
in hæreses relapsum, & impœnitētem,  
hæreticorum quoque ducem, fauto-  
rem, & defensorem manifestum, pub-  
licum & notorium adeo, vt nulla pos-  
set se tergiuersatione aut excusatione  
defendere; ac proinde damnabiliter  
incurrisse in censuras & pœnas à sacris  
canonibus, aliisque apostolicis consti-  
tutionibus & legibus statutas; atq; præ-  
tenso Nauarræ Regno, vel illius parte  
ac Bearnī, & quocunque alio princi-  
patu, Dominiis, Locis, feudis ac bonis  
& successionibus, necnō dignitatibus,  
honoribus, muniberibus & officiis, etiā

Regiis ac iurisdictionibus, & iuribus,  
quæ de facto obtinebat, aut ad quæ ius  
quomodolibet habebat seu prætende-  
bat, ipso iure priuatum ac indignum,  
inhabilem & incapacem ad illa, & alia  
in posterum huiusmodi obtainenda seu  
retinenda, & ad succedendum in qui-  
busunque Principatibus, Dominiis &  
Regnis, ac specialiter in Regno Fran-  
ciae fuisse & esse, per suam sententiam,  
de eorumdem S. R. E. Cardinalium  
consilio pronuntiauit & declarauit:  
prout in literis eiusdem Sixti præde-  
cessoris, Anno incarnationis Domini-  
cæ M. D. L. X X X V, quinto Idus Se-  
ptembris Pontificatus sui anno primo  
desuper editis plenius cotinetur. Quá-  
obrem cum his & aliis in dies contra  
fidem Catholicam supercrescentibus  
eius culpis, idem Henricus ad succe-  
sionem dicti regni Franciæ prorsus in-  
habilis, & incapax existat, ac propterea  
nos & Catholica Ecclesia de eo confi-  
dere amplius non possimus, nullam vi-  
demus causam cur vos, & præsertim iij  
nobiles, qui forte sub falsa conuersio-  
nis

nis illius spe decepti, cum securi sunt,  
vlo modo ei posthac confidere possi-  
tis, vel debeat is. Quis enim potest ei  
confidere, qui fidem quam promiserat  
abnegauit? Quæ enim participatio iu-  
stitiae cum iniquitate? aut quæ societas  
luci ad tenebras? Quæ autem conuen-  
tio Christi ad Belial? aut quæ pars fide-  
li cum infideli? Nolite itaq; vnius ho-  
minis causa, à vera pietate & nobilita-  
te tantopere degenerantis, vos, vestra-  
que omnia in extremum discrimen  
adducere. Satis illi operæ, & obsequiū  
præstitistis, satis superque laborum &  
periculorum, vt ei morem gereretis,  
subiistis. Nunc vos sancta mater Eccle-  
sia fidésq; Catholica, nunc patriæ cha-  
ritas, nunc bonorum omnium cōsen-  
sus vos retrahit, & in summo periculo  
validum pietatis ac virtutis vestre con-  
siliū exposcit. Et si qui, ut diximus,  
illum ducē eo animo securi sunt, quod  
sperarint posse eum à prauis opinioni-  
bus abduci, & ad Catholicæ fidei veri-  
tatem redire, cùm hæc ipsa spes pror-  
sus euauerit, & huic excusationi nul-

Ius amplius relictus sit locus; tempus  
est mutato in melius consilio, perni-  
ciosas societas & coniunctiones di-  
rimendi, sibique & aliis in posteruni  
recte consulendi. Etenim qui primo  
quoque tempore id non fecerint, nec  
apud Deum, nec apud homines excu-  
fare se poterunt, & non parua honoris  
& famę iactura nunc & in futurum per  
omnem æuum subeunda erit. Non la-  
tet vos Franciæ Regnum superioribus  
seculis tamdiu floruisse, ac firma pace  
& quiete potitum esse, quamdiu piis  
Regibus paruit. Nunc ut bona hæc re-  
parentur, bono & pio Rege opus est:  
quia ubi Deus rectè colitur, aduersitas  
non habebit effectū. *Paternus erga vos*  
*animus noster*, vel ex eo maximè pate-  
bit, quod cùm in contumaces aliquid  
seuerius secundum sacrarū legum nor-  
mam statuendum videretur, *Spiritu ta-*  
*men lenitatis & mansuetudinis*, ex quadā  
*amoris & charitatis abundantia*, *ut i mā*  
*luimus*, sperantes vos vicissim exspecta-  
tioni, ac desiderio nostro cumulatè re-  
sponsuros, ac re ipsa declaraturos non  
minitis

minus pietate, ac sedis Apostolicæ reverentia, quām generis claritate similes vos esse velle maioribus vestris, qui Christianis quondam virtutibus conspicui, ac verè nobiles, hāc sui nominis memoriam tanquam opulentam præclarāmq; hæreditatem vobis reliquerunt, & si nunc viuerēt, id ipsum, quod à vobis petimus, summis precibus à vobis contenderent & impetrare conarentur. Proinde si hac in re ita vos gessetitis, sicut pios & obedientes Ecclesiæ filios decet, persuasum ac certū vobis esse volumus, nos omni tempore personæ, dignitatis, status commodorumque, ac desideriorū vestrorum, quantum cum Domino licebit, eximiām esse rationē habituros, nullumque vel amantissimi patris, vel vigilantis Pastoris erga vos, totūmq; Regnum inclytāmq; nationem vestrā officiū prætermisuros. Verum si aliter ac cupimus & suademus de vobis euenire contingat, paternāque vox & hortatio hæc nostra prompto animo nō admittatur, considerate quæsumus nobis et-

iam inuitis , ex officij & conscientiæ  
nostræ debito , ne patientia & lenitas  
vertatur in culpam , extremam impo-  
situm iri necessitatem : ingrauescenti  
huic morbo acriora adhibendi remedia , &  
loco paternæ benignitatis , qua hactenus  
sedes Apostolica uisa est , seueri iudicis perso-  
nam induendi . Sed absit ut hoc de vo-  
bis suspicemur , abhorret animus & præ-  
dolore commouentur viscera nostra .  
Expectare igitur & sperare malumus  
recti sanique cōsilii effectum optatum  
& salutarem , Deum omnipotentem  
orantes , ut ad id corda vestra sancti sui  
spiritus gratia illuminet & accendat .  
Cæterum ut quanç nobis curę sit Re-  
gni istius salus & conseruatio modis or-  
mnibus ostendamus , mittere prope-  
diem istuc decreuimus militares copias  
*Heluetice nationis* una cum equitatu non  
modico , quibus præficere in animo ha-  
bemus vnum ex consanguineis nostris  
intimis & charis , cui plenè confidere ,  
ac sensus vestros sine vlla dubitatione  
aperire possitis , quique adiutor & pro-  
tector sit omnibus Dei & sanctæ reli-  
gionis

gionis causam defendantibus, & bonum publicum procurantibus. Nunc verò mittimus dilectum filium magistrum Marsilium Landrianum ytriusque signaturæ nostræ referendatium, virum claritate generis, ac fide industriaque singulari præditum, vt istic nostri & Apostolicæ sedis nuntii munere fungatur, vobisque consilio & opera vbiunque oportuerit præsto sit, cui mandata nostra publicè vel priuatim referenti fidem plenam habebitis.

Quia verò difficile foret præfentes litteras singulis vestrum præsentari, & ad singula loca deferri ad quæ oportet, volumus ut earum transumptis etiam impressis, manu publici notarii, & sanguillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides vbiq; gentium & locorum in iudicio & extra illud adhibetur, quæ eisdem originalibus adhiberetur, si eis sent exhibita vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę hortationis, rogationis, obsecrationis, obtestationis, monitionis

ac voluntatis infringere , vel ei ausu te-  
merario cōtraire . Si quis autē hoc attē-  
care p̄fsumperit, indignationem om-  
nipotentis Dei , ac Beatorum Petri &  
Pauli Apostolorum eius se nouerit in-  
cursurum . Dat . Romę apud S. Petrum  
anno incarnationis Dominice millesi-  
mo quingentesimo nonagesimo , Kal.  
Martii , Pōtificatus nostri anno primo .

L. DAT.

*M. Vestrius Barbianus*

*A de Alexijs*

*LITE*



LITERAE MONITORIALES

S<sup>mi</sup> D N. D. GREGORII

*Divina Prudentia*

Papæ **xxxx.**

Etiam sub censuris & pœnis, ad Archi-  
episcopos, Episcopos, Abbates, Pri-  
ores, cæterosque Ecclesiarum secu-  
larium & regularium Prelatos, Ca-  
pitula, Collegia & conuentus ac per-  
sonas Ecclesiasticas quascunque per  
Regnum Franciæ constitutas.

Vt ab Henrico Borbonio quondam Na-  
uare Rege ac ab eius sequacibus,  
fautoribus & defensoribus, illiq; ad-  
herentibus Principibus & Proceri-  
bus, ac aliis qui apud eum sunt, o-  
mnino recedant, atque illum & il-  
los prorsus deserant & de-  
relinquant.



GREGORIVS EPISCOPVS

*seruus seruorum Dei:*

*Vniuersis & singulis venerabilibus fratribus Archi-  
episcopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus,  
Prioribus, ceterisque Ecclesiarum secularium &  
regularium Prælatis, Capitulis, Collegiis & Con-  
uentibus, ac personis Ecclesiasticis, quibuscumque  
per regnum Francie constitutis, salutem & Apo-  
stolicam benedictionem.*

**B**EATISSIMI Apostolo-  
rum principis Petri Cathe-  
drae, super quam Dominus,  
ac Redemptor noster Iesus  
Christus suam edificauit Ecclesiam, eodem  
Petro, ac illius successoribus totius  
gregis sui Pastoribus constitutis, dispo-  
sitione diuina, licet tanto loco & mu-  
nere indigni, præsidentes, pro iniun-  
cta nobis Ecclesiarum omnium solici-  
tudine, cunctis gentibus, ac populis,  
quam debemus pastoralem vigiliam,  
& curam, ipso iuuante Domino præsta-  
re cupimus & conamur. Proinde cum  
inter grauissima quibus yndique pre-  
mimur

mimur Christianæ Reipub. mala, nihil  
quam animum nostrum perculserit, an-  
xiūmque & sollicitum reddiderit, ac  
regni istius Franciæ præstantissimi Ec-  
clesiæ membra, nobisque & sanctæ sedi.  
Apostolicæ ob multa & præclara eius  
merita charissimi & coniunctissimi, tā  
diuturna omnium rerum perturbatio,  
ingensq; & inueterata calamitas, quæ  
non solum vrbes, oppida, agros, terre-  
nāque omnia, sed ipsa etiam spiritualia  
& cœlestia bona, nempe verum Dei  
cultum, animarūmq; salutem aggressa  
est, immensāmque stragem, instigan-  
te generis humani hoste edere parat,  
nisi mature & fortiter ab omnibus re-  
gni ordinibus concordi animo, & ab iis  
præsertim qui Dominici gregis curæ  
& custodiæ præsunt, resistatur. Quare  
sicut nos afflictioni vestræ ac totius re-  
gni, paterna miseratione compatimur,  
nullūmque erga vos veræ pietatis offi-  
cium prætermissuri sumus, ita vos pro-  
bationis vestræ tempus debetis agno-  
scere, & contra impetus oppugnantium,  
munitionibus cœlestibus freti, incom-

mutabilis animi constantiam præparare, memores, quo maior ingruit aduersitas, & tribulatio, eò feruentius insistendū esse orationibus, ieiuniis, prædicationibus, hortationib. admonitionibus, alijsq; piis, & Deo gratis operibus, quib. scilicet, & propitius reddatur Deus, & ij permoti, qui veritati Catholicæ, & publicæ paci obfistunt, tandem aliquando quiescant, & ab instituti prauitate, diuina opitulante gratia, deducantur, impiásq; vias suas derelinquant. Quam autem vim habeant ad placandam Dei iram, pura & immaculata sacerdotum vita, assiduaque ac deuotæ ad Deum fusæ preces, multis in locis sacra testantur eloquia. Hæc sanè prima sunt & validiora fideliū Dei fervorū arma, quibus tamen postea cùm opus sit, iungēda sunt alia auctoritatis, & diuinitus traditæ potestatis. Sed dolendum est, & quidē grauiter dolendum, nonnullos vestri ordinis adeo ipsorum officij oblitos, vt eisdem Ecclesiæ Catholicæ aduersariis, pacisque turbatoribus, ne verbis quidem resistere ausi sint tanquam canes muti, non valentes

latrare

latrare: quinimo, ut fama est, turpiter & magno cum bonorum omnium dolore, & Ecclesiastici ordinis dedecore, eis se comites, & adiutores prebuerint, quasi de Henrico Borbonio quondam Nauarræ rege, quæ cunctis notissima sunt & manifesta, ipsi ignorare possent vel deberent. Qui quidem Henricus à primis annis matris opera hæresibus infectus, in eis diu perseverauit, & cum iam adulta esset ætate, malumq; à bono, hæreticorum à fidei Catholicæ veritate secerneret, Parisiis publicè in Ecclesia ubi rex ac regni Principes, & Proceres frequētes aderant, post nonnullas disputationes inter Catholicos S. Theologiæ Doctores, & hæreticos ministros, ipso instantे atq; præsente habitas, fidem Catholicam amplexus atque professus fuit, hæresibus, quibus antea imbutus fuerat detestatis & abjuratis, ac verum se & sincerum Catholicæ fidei cultorē deinceps omni tempore futurū pollicitus est, & postmodum literas ad sanctæ memoriz Gregorium Papam XIIII prædecessorem

postrū scripsit, quibus cum supremum Ecclesiæ Catholicæ caput agnoscens supplex deprecabatur, ut conuersionis & obedientiæ suæ confessionem acceptam habere, præteritorumque criminum veniam ei cōcedere dignaretur, quod & obtinuit, firmiter etiam promittens se fidem Catholicam perpetuò, integrè, & in uiolatè seruaturum: & deinde oratore Romam misso, qui suo nomine obedientiam eidem Gregorio prædecessori præstaret, atque de pœnitentia, conuersione, fide, & constantia sua in sedis Apostolicæ conspectu sponderet, prout in publico consistorio, assistentibus eidem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec nō presentibus plurimis Prelatis, & Romanæ curiæ officialibus, aliisque innumeris personis, per eundem oratorem præstitit atque spopondit. Quinetiam publico proposito edicto in suæ ditionis prouinciis ac terris fidem Catholicam restitui, cámque solam ab omnibus suis subditis seruari mandauit, falsamq; religionem seu hæreses in eis prædicari vel

vel teneri prohibuit, atque ita per aliquod tempus, ut Catholicus habetur, exteriore cultu praes se tulit. Et nihilominus cum idem postea violato iureiurando & fracto promissionis quo se obstrinxerat vinculo, repente Catholicę religionis hostem acerrimum, hæreticorumque caput, ac principem se declarasset, atque in ciuitates & oppida recens ab eo capta hæreticos predicantes introduci iussisset, atq; omni conatu ad ipsas hæreses confirmandas & propagandas incubuisse, atque ita se vt fidei desertorē, promissionis fraterem, & iurisurandi violatorem regno Francię indignum & incapacem reddidisset, iure ac meritō, felicis recordationis Sixtus Papa quintus etiam predecessor noster cundē Henricum quondam Nauarre regem vt hæreticum in hæreses relapsum & impoenientem adeo manifestum, publicum & notorium, vt nulla posset se tergiuersatione & excusatione defendere, damnabiliter incurrisse in censuras, & poenas à sacris canonibus, aliis-

que apostolicis constitutionibus, & legibus statutas, atque prætenso Nauarre Regno vel illius parte ac Bearn, & quo cunque alio Principatu, Dominiis, locis, feudis, ac bonis & successionibus, necnon dignitatibus, honoribus, muneribus, & officiis, etiam Regiis ac iurisdictionibus & iuribus, quæ de facto obtinebat, aut ad quæ ius quomodo libet habebat seu prætendebat, ipso iure priuatum, ac indignum, inhabilem, & incapacem ad illa, & alia in posterū obtinenda seu retinenda, & ad succedendum in quibuscumque Principatibus, Dominiis & Regnis, ac specialiter in Regno Franciæ per suam sententiam, de corundem S. R. Ecclesiæ Cardinallium consilio pronuntiavit & declaravit, prout in literis eiusdem Sixti prædecessoris anno incarnationis Dominiæ, Millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, quinto Idus septembribus, Pontificatus sui anno primo, desuper editis plenius cotinetur. Nemo igitur vestrum qui tam grauiter deliquit, eos quæ superius dicta sunt, ignoratio-  
ne, vel

ne, vel cuiusuis alterius causę aut ratio-  
nis vel excusationis obtētu tueri se aut  
defendere potest. Quis enim nesciat  
quæ Deo, & Sanctæ Ecclesiæ Catholi-  
cæ propriè debentur & spondentur, ea  
vel sanguini vel amicitiæ, vel gratiæ,  
vel precibus quorumuis hominū, aut  
euicunque alteri respectui, & affectui,  
humano dari non posse? Etenim si hæc  
confundantur, vbi vestra erit religio,  
fides, pietas, commissarum ouium cu-  
ra, & debita sedi Apostolicæ obediens-  
tia? Meminisse vos oportet eorum que  
Dominus per Ezechielem commina-  
tus est malis pastorib. Æternus enim  
Pastor & Iudex, quæ vobis commisit,  
irrequisita non relinquet, cui tanto di-  
strictius rationem reddituri estis, quā-  
to digniora & potiora sunt quæ acce-  
pistis. Cui enim plus creditum, ab eo  
plus exigendum. Et si neglectus error  
ouium culpa pastorum est, quid ergo  
fiet illis Pastoribus, qui errantes ipsi &  
delinquentes alios secum in eosdem  
errores, & delicta pertraxerunt, vel er-  
roris causam dederunt? Cæterū si pau-

Io altius præsentium ærumnarum rā-  
dicem quærere velimus, vtique inue-  
niemus, non multo ante tempore, Frā-  
ciæ Reges dum variis bellis impliciti  
*dominandi causa fœdera cum Infidelibus,*  
*& amicitiam cum hæreticis contraxerunt,*  
eorumque auxilia acciuerunt, hac po-  
tissimum de causa, quamquam alia nō  
defuerint, Dei iram in se posterosque  
suos, & subiectos populos prouocasse.  
Inde inuestigare in Regnum hæreses; in-  
de dissidia; inde ciuiles discordiæ; inde  
atrox, & intestinum hoc bellum exci-  
tatum, & ad hæc usque tempora pro-  
ductum. A capite igitur omne malum  
cuius nēc finis apparet, nec sperandus,  
aut expectandus est, nisi cū Dominus  
bonum&pium vobis dederit Regem,  
nomine & actione verè Christianissi-  
mum. Quamobrem unusquisque ve-  
strū cogitet, qua ratione pro virili sua  
Sæctæ Religionis Catholicæ defensio-  
ni, Ecclesiarum conseruationi, ac ro-  
tius Regni paci & quieti prodeesse pos-  
sit, ad idque animum & vires, & facul-  
tates omnes suas intēdat, minime du-  
bitans

bitas, quin misericors & miserator Dominus, presentibus miseriis & aduersitatibus finē cito sit impositurus, iuxta illud: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nos certè quæcumque poterimus, non solum spiritualia & temporalia, sed etiam militaria auxilia periclitanti Religioni Catholicæ ac Regno subministrare non omittemus, atque utinam possemus ad vos iter facere, & præsentes fraternæ Charitatis opus incessanter exhibere, nullis laboribus, nullis periculis, nec etiam sanguinis & vita nostræ parcentes: Sed cum id, nec per ætatem, nec per valetudinem, nec etiam per eas, quas hic sustinemus molestias & difficultates, agere nobis liceat, saltem dabimus omnem operam, ne quid à vobis tali vestro tempore iuste desideretur, quod à nobis, & ab hac sancta sede profici possit. At verò præcepti illius Dominicani memores, quo iubemur in persona Beati Petri fratres nostros confirmare, illos quidem qui in officio, & vocatione sua firmiter permanerunt, &

quibus potuerunt modis, Dei & sanctæ Religionis Catholicæ causā iuuerunt, populosq; sibi creditos in fide & officio retinuerunt, hoc nomine laudamus, diligimus, charosque habemus, ac omni honore & præmio dignos iudicamus. Hortamurq; etiam ut usque ad finem constanter in eo perseverent, nec laboribus, vel periculis aut minis etiā mortis deterreantur, cum sciant bonum pastorem animam ponere debere pro omnibus suis, sed indies magis merita apud Deū sua augere studeant, atque ita optatam illam vocem audire mereantur: Euge scrue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituā, intra in gaudium Domini tui. Alios verò, quod doléter referimus, qui à via recta declinarunt, ne ipsi officio nostro desimus, & ne cum male agètibus propter silentium condemnemur, corrigi & emendari cupientes vniuersos & singulos Archiepiſcopos, Episcopos, Abbes & Prælatos, nec non Capitula, Collegia, & Cōuentus, atq; alias quascunq; Ecclesiasticas personas, cuius-

uis ordinis, status, gradus, prærogatiue,  
præminetiæ & dignitatis existat, me-  
moratum Henricum quondam Nauar-  
ræ Regæ sequentes, vel comitantes, aut  
quoquomodo ei, vel Principibus, aut  
Proceribus illi fauentibus vel adhæré-  
tibus fauentes vel adhærentes, auctori-  
tate Apostolica tenore præsentium in  
Domino requirimus & monemus, i-  
psisq; in virtute sanctæ obedientiæ di-  
strictè præcipiendo mandamus, quatenus  
sub suspensionis à Diuinis, à regimine Ec-  
clesiarū, ac ab illarum ingressu, & fru-  
ctuum perceptione earudem Ecclesiarū,  
& beneficiorum suorum quorūcum-  
que quoad Episcopos & superiores:  
quo verò ad alios inferiores, sub excō-  
municationis maioris, itemque amil-  
sionis omnium fructuum similiter Ec-  
clesiarum, Monasteriorum, & benefi-  
ciorum Ecclesiasticorum quorumcū-  
que secularium, vel regularium cuius-  
uis ordinis, & cōgregationis quæ quo-  
modolibet obtinent in titulm, vel  
commendam, ac quoad Capitula, Col-  
legia & conuentus interdicti, etiā Ec-

clesiaſtici, aliisque Ecclesiasticis censu-  
ris, & arbitrio nostro infligendis, & ir-  
rogandis pœnis, illico omni & quacun-  
que postposita mora, exceptione, aut  
excusatione; ac saltem intra terminum  
quindecim dierum immediatè sequé-  
tium post diem publicationis præsen-  
tium literarum modo & forma infra-  
scriptis faciendæ, quorum quinq; pro  
prima, quinq; pro secunda, & reliquos  
quinque dies pro tertia Canonica mo-  
nitione, ac tertio & ultimo perempto-  
rio termino ipsis præfigimus, & affi-  
gnamus, ab eodem Henrico, ac ab eius  
sequacibus, fautoribus & defensori-  
bus, illiq; adhærentibus Principibus  
& Proceribus atque aliis, qui apud  
eum sunt, omnino recedant, illumque  
& illos prorsus deserant & derelin-  
quant, neq; ullam cum eis societatem,  
fœdus, ligam, aut consuetudinem ha-  
beant, inceant, foueant, aut retineat, vel  
opem, præsidium, auxilium, consilium  
vel fauorem eis directè vel indirectè,  
per se vel alium, seu alios quoquis præsi-  
to colore vel prætextu, aut alijs quo-  
modo-

modolibet præstent aut impendant.  
Quod si qui eorū re ipsā , ac omni do-  
lo,& fraude cessante non fecerint,nec  
fideliter adimpleuerint, eos in censu-  
ras&pœnas prædictas incidisse,& insu-  
per, si quod absit intra alios quindecim  
dies proximè sequentes nō paruerint,  
sed animo permanferint obdurato, di-  
starum Ecclesiarum etiam Cathedra-  
lium, etiam Metropolitanarū , & Mo-  
nasteriorum quibus præfunt, ac qua-  
rumuis dignatum, Canoniciatuū , &  
præbendarum,Prioratum&Præposi-  
turarum, Rectoriarū & beneficiorum  
Ecclesiasticorum quorumcunque cū  
cura, & sine cura, quoquaque titulo,  
honore,& nomine censeantur,aut ap-  
pellentur,priuationis pœnam ipso factō in-  
currisse, tenore præsentiu, de potestatis  
Apostolicæ plenitudine decernimus  
& declaramus. Cæterum à suspensiō-  
nis, excommunicationis maioris , in-  
terdicti Ecclesiastici & aliis censuris &  
pœnis prædictis quicunque in eas in-  
curterint, nullo modo absolui, aut li-  
berari possint, neque etiam in foro cō-

scientiæ à quoquam seculari, vel cuius-  
uis ordinis regulari presbitero vel præ-  
lato quavis dignitate & auctoritate fun-  
gente, nisi à nobis vel Roma. Pontifice  
pro tempore existēto, & præterquā in  
mortis articulo, & tunc nō nisi prestante  
cautione de parēdo mandatis Ecclesiæ,  
& congruè satisfaciendo, etiā prætextu  
quarumuis facultatum & indultorum  
etiam occasione Iubilei plenarij, vel  
Cruciatae sanctæ, seu confessionalium,  
quibusunque personis Ecclesiasticis  
secularibus, & quorumuis ordinum,  
etiam mendicantium & militiarū re-  
gularibus, etiā Episcopali vel alia maio-  
ri dignitate præditis, ipsisq; ordinibus  
ac eorum Monasteriis, conuentibus,  
domibus, Hospitalibus & locis piis, ac  
cæteris personis supradictis per nos, &  
dictā sedem & cuiusuis consilii, etiam  
generalis, decreta verbo, literis aut  
quacunque scriptura in genere vel in  
specie concessorum, & innouatorum  
etiam si in eis casus in literis die Cœnz  
Domini legi solitis expressi compre-  
hendantur, nisi de præsentibus nostris  
literis

literis specifica & expressa , non autem per clausulam, quorum tenores & alias quascunque clausulas generales idem importantes mentio fiat. Ut autē præsentes nostræ literæ ad ipsorum Archi-episcoporū, Episcoporum, Abbatum & Prælatorum, necnon Capitulorum, Collegiorum & conuentuum , atque aliarum supradictarum personarū notitiam facilius peruenire possint, easdem nostras literas tam in alma vrbe nostra in Lateranen. & Principis Apostolorum, Basilicarum & Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campifloræ per aliquem ex Cursoribus nostris, quam etiam in partibus Regni Franciæ, in valuis sex infra scriptarum, vide licet, Lugdunen. Rothomagen. Parisien. Aurelianen. Tholosan. & Aquen. vel saltem quatuor ex eis , vel aliarum in eodem Regno Franciæ consistentiū Cathedralium, vel Metropolitanarum Ecclesiarum more solito legi , & publicari & inibi affigi, & per aliquod temporis spatum affixas dimitti , eisque post modum inde detractis, earum ex-

empla in eisdem locis pariter affixa re-  
linqui mandamus. Decernentes ut ca-  
rundem literarum publicatio sic facta  
supradictos omnes, & eorum quemli-  
bet perinde arctet, obliget & afficiat,  
ac si litteræ ipsæ eis, vel eorum singulis  
lectæ, & personaliter intimatae atque  
insinuatæ fuissent, cum non sit verisi-  
mire, ea quæ tā patenter & publicè facta  
fuerint, ipsos posse quoquomodo libet  
ignorare. Quia verò difficile esset præ-  
sentes literas ad singula loca, ad quæ o-  
porteret deferri, volumus, ut earū trā-  
sumptis, etiam impressis manu Notarij  
publici subscriptis, & sigillo personæ in  
dignitate Ecclesiastica constitutæ ob-  
signatis, eadem profus fides habeatur  
in iudicio, & extra illud ubique gentiū,  
& locorum, quæ haberetur eisdem præ-  
sentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.  
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc  
paginam nostræ requisitionis, monitionis,  
prefixionis, assignationis, declarationis,  
mandatorum, decretorum, & volun-  
tatis infringere, vel ei ausu temeraria con-  
traire. Si quis autem hoc attentare pre-  
sumper-

fumperit, *indignationē omnipotentis Dei,*  
 ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum  
 eius se nouerit incursum. Datū  
 Romę, apud S. Petrum, Anno Incarna-  
 tionis Dominice, Milleſimo quingen-  
 tesimo nonagesimo, Kal. Martii, Pon-  
 tificatus nostri Anno primo.

L. Dat.

*M. Vestrius Barbianus*

*A de Alexijs*

**A**NNO à Natiuitate D. milleſimo  
 quingentesimo nonagesimo pri-  
 mo, iudictione quarta, die verò 25. mē-  
 sis Maij, Pōtificatus sanctissimi in Chri-  
 sto Patris, & D. N. D. Gregorij diuina  
 prouidētia Papæ XIIII. Anno primo.  
 Retrōscriptæ literæ monitoriales eiuf-  
 dem S. D. N. PP. ad Prēlatos, & alias  
 personas Ecclesiasticas Regni Francię,  
 lectę, publicatę, & intimatę fuerunt in  
 vrbe Roma, in valuis Basilicarum La-  
 teranen. & Principis Apostolorum, nec  
 non Cancellarię Apost. & in acie Cam-

C iiij piflore,

piflore, & inibi affixæ , ac sic affixe per aliquod temporis spatiū dimissę simili-  
ter fuerunt , eisque postmodum inde refixis, & detractis, illarū copię seu ex-  
empla cum his originalibus ausulta-  
ta, & concordata in eisdem locis affixa  
relicta sunt iuxta earundem , & litera-  
rum formā & tenorem, per nos Octa-  
uium Taghetū , & Nicolaum Drouyn  
prælibati S.D.N.Papæ Cursores.

*Pompeus Guerra Mag. Curs.*

**F I N I S.**

